SCHOLASTICA DIATRIBA DE REBUS DIVINIS AD ANquirendam & inveniendam veritatem, à candidatis S. *Theol.* habenda (*Deo volente*) ad d. XXVI. & *XXVII. Iulij in Scholis Theologicis Acad.* Andreanæ, Spiritu Sancto Præſide.

D. AND. MELVINO S. THEOL. D. ET ILLIVS *facultatis Decano συζητησιν moderante.*

EDINBVRGI,
*Excudebat Robertus Walde-graue Ty*pographus Regius 1599.

PROGYMNASMATA QUÆdam Thetica Rectis ſtudijs & modeſtis ad veritatem limandam vltrò citròque agitanda.

1 VTrum ſacræ Theologiæ & ſcripturæ interpretatio ſit ad præceptiones artiũ & ſcientiarum, quas homines ingenio & induſtria excogitârunt, tanquam ad normam ἀκριβῶς exigenda: An ipſæ potiùs artes & ſcientiæ ex ſcriptura diſceptandæ & dijudicandæ veniunt?

2 Vtrum vt Grãmatica linguæ Sanctæ ex Scripturis ſacris petenda & probanda, ita & Rhetorica & Logica divinæ dictionis & ſapientiæ ex eodem fonte haurienda?

3 Vtrum quicquid Græci de Græca, Latini de Latina lingua præceperunt, id omne vel quærendum in Hebraica vel præcipiendum

4 Vtrum attributiones ſive Enuntiationes de Deo rebuſq; divinis omnes intra metas Porphyrianorum categorematum, vel Ariſtotelicarum categoriarum, vel argumentorum Inventionis logicæ, ab alijs deſcriptorum, coerceri aut poſſint aut debeant?

5 Vtrum Paulinæ ἀποδείξεις πνευματικαὶ, ſint ad analyticum Ariſtotelicæ eruditionis modum neceſſariò vel revocandæ vel exigendæ?

6 Vtrum divinæ de rebus futuris prædictiones cum Ariſtotelica de futuris contingentibus doctrina cõveniant necne?

7 Vtrum dialectica interrogandi & reſpondendi ratio ab Ariſt. 8. cap. deſcripta, ad Theologicas περὶ τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας διατριβὰς traduci cum fructu & ſine detrimento poſſint?

8 Vtrum αντιθεσεις της ψευδονυμȣ abſque Ariſtotelica Elenchorum doctrina & diſſolvi & profligari, vel rectius vel expeditius poſſint?

9 Vtrum της φυσικης ακροασεως de principijs, cauſis, vacuo, infinito, loco, tempore, æternitate, & diſputationes & aſſertiones ad Moſaicam de rerum Originibus doctrinam explicandã accommodatæ, aut divinæ de natura rebuſq; naturalibus veritati conſentaneę ſunt?

10 Vtrum vnus eiuſdemq; contradictionis pars vtraque tam affirmans, quam negans vera ſit necne? vt alia ſic reapſe Phyſica, alia Metaphyſica, ſiue Theologica veritas, quarum alteri altera ex diametro pugnet, quæ tamen pugna diſtinctionis ſubtilitate tollatur.

11 Cum Deus ſit ipſa veritas, & vnius veritatis ſiue in rebus, ſive in mentibus, ſive in oratione author ſingularis, an veritas Naturalis cum tranſnaturali veritate pugnare aut poſſit aut debeat?

12 Cum ſanctæ literæ Solem, Lunam, Stellas ſecundum poſitum à Deo in natura ordinem moveri paſſim aſſerant, Cælum verò nuſquam; an Chriſtianus piè & ex fide affirmaverit Cælum moveri; Solem, Lunam, Stellas quieſcere?

13 Cum ſanctæ literæ Cælum tertio Cælo ſuperius non agnoſcant, veritatis ne, an temeritatis ſeptem planetarum orbes cum octavo, nono & decimo Cælo conſtituere?

14 Cum inferiora ſuperioribus, craſſiora ſubtilioribus, viliora præſtantionibus à Deo creata priùs fuiſſe doceat Moſes, an Moſaicæ narrationi conſentanea dicit, qui Cælum extimum primo die, aut Angelos ante ſextum diem creatos affirmant?

15 Vtrum Temporis initio primoq; puncto omnis omniũ rerum creatarum, vel ſaltem viſibilium Materia informis creata fuerit nec ne? quæ poſtea per partem diſtincta formis & veſtita extiterit, an etiam poſtea lux, Cælum, Lumina cæleſtia, vt taceam animas humanas & Spiritus Angelicos, è nihilo extiterint?

16 An Logica tam generale eſt inſtrumentum, vt notiones omnes de Chriſto regnoq; ejus ſpirituali, enuntiationes omnes, & ratiocinationes ſalua Religione eo reduci poſſint? Breuiter, an notiones Logicæ exæquant Theologicas?

17 An alia divinæ veritatis & voluntatis extra Dei verbum regula?

18 Vtrum Theologia rectè dividatur in Deum, & actiones Dei?

19 Vtrum decretum Dei æternum rectè, & propriè dicatur opus Dei?

20 Vtrum Diaboli opus eſt peccatum, qua tale eſt, ſic aliquod poſitiuum, aut Boni in Bono, quod à Deo eſt, privatio?

21 An naturali ratione cognoſci poſſit mundum eſſe conditum, an etiam ex nihilo conditum?

22 An rationalis anima ſit completa hominis forma, aut Imago Dei in homine ſpecifica hominis differentia?

APHO-

APHORISMI DE RE-
BVS DIVINIS AD SANC
tam & ſobriam συζητησιν *comportati, et in*
ſapientiæ & veritatis Theatro ſpectandi.

I *THeologia* cum multipliciter dicatur: aliaque ſit increata, quæ eſſentialis eſt ipſius Dei, de ſe rebuſque omnibus ſapientia: alia creata, quæ intelligentibus creaturis communicatur, vel ſecundùm naturæ lumen integræ aut corruptæ; vel ſupra naturam in hac aut altera vita: nobis in hoc terreſtri tabernaculo neceſſaria ac ſalutaris ea, quam Deus in Chriſto trans naturalem revelavit.

II Chriſtiana hæc & noſtra Theologia eſt ſapientia rerum divinarum, ſecundùm veritatem divinam à Deo inſpirata, & per enuntiatiuum ſermonen in Chriſto commiſſa ſervis ejus, & in T. V. & N. per Prophetas, Apoſtolos & Evangeliſtas conſignata, quantum ejus expedit hîc revelari, ad gloriam ipſius, & electorum bonum.

III Sacra hæc ſcriptura eſt perfecta, in ſe perſpicua, ſui ipſius interpres, ſũmus omnium controverſiarum Iudex, divinæ authoritatis, in libris Canonicis & θεοπνεύστοις V. & N. T, comprehenſa, Hebraicis & Græcis literis conſcripta, quarum æditiones ſolæ ſunt authenticæ, à quibus ad Latinas vel vernaculas in controverſijs provocare ſtultum iuxtà ac impium eſt.

IV *Deus* in Scriptura proponitur Spiritus & infinitè ſimplex, & ſimpliciter infinitus, immenſus, æternus, immutabilis, vita, ſapientia, bonitas, potentia, à ſe, in ſe, per ſe, & ex ſe, αὐτάρκης; atque

atque perfectus. Item Pater, Filius, ac Spiritus Sanctus, quæ omnia his duobus vocabulis *Iehoua Elohim* Scriptura complectitur: altero vnitatem Eſſentiæ, plurium attributorum varietate paſſim explicatam, altero perſonarum in vna divina eſſenti Trinitatem & diſtinctionem ſignificans.

VI Proprietas divina aut eſſentialis eſt aut perſonalis: Eſſentialis autem vel φυσικη ad Dei αρετας 2. Pet. 1. vel ουσιωδης ad Eſſentiam declarandum: vtraque trium perſonarnm communis. Perſonalis, αγεννησια Patris, γεννησις Filij, εκπορευσις Spiritus Sancti, vnaquæque incommutabilis in ſe: & inter ſe incommunicabilis. Hinc operatio ad intra & ad extra eſſentialis quidem à communi eſſentia communis, perſonalis vero à perſonæ cujuſq; incommunicabili proprietate, incommunicabilis. Nam vt Eſſentia divina cujuſq; proprietas omnis communis eſt tribus perſonis, ita ijſdem communis eſt eſſentialis operatio. Itidẽ vt perſona in divinis, ejuſq; proprietas eſt, incõmunicabilis, ita incõmunicabilis eſt perſonalis omnis operatio.

VII Cum operationum eſſentialium communium ſit eſſentialis; Operationum vero perſonalium diſtinctio perſonalis, regula Auguſtini pervulgata, divinitatis opera, ad intra ſunt diviſa: ad extra ſunt indiviſa, minùs planè & non ſatis plenè quod docendum fuit, docet.

VIII Cum nihil ſit in Deo, quod non ſit Deus, nec Deus ipſe dicatur propriè opus ſuum, & operationes in Deo differant pluſquam toto genere ab operibus extra Deum æditis, neceſſariò ſequi videtur, neque decretum Dei æternum, neque providentiam, aut prædeſtinationem inter opera Dei, præſertim extra Deum ædita, cenſeri poſſe.

IX In decernendo ſapientia Dei maximè ſpectabilis: In exequendo potentia Dei maximè ſpectabilis: vtrobique Voluntas Dei etiam ſpectabilis.

X Neceſſitas Providentiæ non tollit rerum contingentiam, neq; ad peccandum cogit intelligentis creaturæ voluntatem,

XI Electionis hominum cauſa eſt nullius hominis ne

Chriſt

Chriſti quidem ipſius qua homo præviſa aut voluntas ,aut dignitas aut meritum, aut fides, aut opera quantumvis bona, ſed vna vnius Dei gratioſiſſima εὐδοκία. Reprobationis item cauſæ non eſt præviſa infidelitas,aut vllum peccatum,quamvis et hoc & illa ſit cauſa damnationis.

XII Opera Dei ſunt quæ Deus ab æterno ſapienter præſcivit & in tẽpore facere liberrimè decrevit : & ſicut ab æterno ſapienter præſcivit et liberè decrevit, ita eadem in tempore potenter facit, nulla ſua ipſius actione inter ſe operantem,& opus ſuum interveniente.

XIII Ante annos quinquies millenos, quingentos & quinquies circiter quinos rerum hanc vniverſitatem , cum loco & tempore, in pondere, numero & menſura à Deo creatam μηδεμίας προυπαρχούσης ὕλης nulla præexiſtente (vt loqui docemur) materia, nulla privatione aut propenſitione in materia, ad vllam formam ſine labore, ſine opera , ſine miniſtris, ſine inſtrumentis vllis προληπτικῶς & ſummatim docet Moſes Geneſ. cap.1. verſu.1. Deinde per partes explicat. E nihilo Terram, Aquam. Spiritum diuinum & poſt Tenebras Lucem, die primo, Cælum ſiue Expanſum, terreſtrium , & cæleſtium aquarũ διαχωριστικὸν die ſecundo, Solem, Lunam, adeoq; ſtellas ad lucem diſpenſandam & temporum ſpacia motu ſuo verius quàm orbium rotatu deſignanda die quarto, denique animam humanam cum Spiritibus Angelicis hominum cuſtodiæ demandatis die ſexto ex nihilo creaſſe Deum ad ſimilitudinẽ ſui: Ex materia verò die primo creata, eaque per ſe ſterili, & ad formas rerum ex ſe promendas in ſe impotens & inepta: Terra nimirum & aqua, herbas, arbores die tertio , & omne genus animantium die quinto, & ſexto ad ſolius verbi imperium, produxiſſe, Poteſt enim Dei ἀΐδιος δύναμις atque divinitas (quæ vel Philoſophis ethnicis, teſte Apoſtolo , manifeſtè cognita fuit) non ſolùm ex quovis, quidvis , verumetiam ex nihilo omnia arbitratu ſuo efficere: plurimò magis , quam vel natura vel ars. (Vtraque nimirum cauſa finita) poteſt formam in ſubſtratam,

&

& ſubactam materiam inducere.

XIIII Cum Dei nutu gubernentur omnia, quod nemo mentis compos negare poteſt, neceſſariò ſequitur eundem omnium fuiſſe effectorem: Nam ſi quem regit mundum non fecit Deus, ab alio factum acceperit, aut per ſe exiſtere, aut extitiſſe olim priùs quam à Deo regeretur oportuit, quod vtrumque & vanum & impium eſt.

XV Ex omnibus, quæ aſpectu ſentiuntur naturis, ſolus, homo ad imaginem Dei creatus dicitur, quæ præſertim in anima locum habet, præcipuè verò in primigenia illa mentis & voluntatis ac virium abſoluta pro naturæ humanæ capta, integritate, vz. ſapientia, Iuſtitia, ſanctitate, &c. Non ergo in eſſentialibus animæ facultatibus tres perſonas Trinitatis advmbrantibus, neque in ipſa animæ eſſentia, nec in externo hominis imperio eſt poſita, multo minùs per imaginem Dei juſtitia illa eſſentialis homini (vt voluit Oſiander) infuſa intelligi debet.

XVI Cum Deus Adamum ad Imaginem ſui λογικον ζωον cõdiderit, non nudum tantũ intellectum ei dediſſe, ſed dotibus inſuper naturalibus & κοιναις εννοιαις illuſtrâſſe veriſimile eſt, cujus notitiæ ſpecimen non obſcurum dedit, tam imponendo nomina beſtijs pro cujuſque natura, quàm agnoſcendi Evam ſimul ac vidiſſet, ſimulq; nomen ſecundùm originem, naturam, vſum indendo, ſequitur, Ergo non adeo certum dogma illud Peripateticorũ, nihil eſſe intellectu quod non priùs in fuerit ſenſu. Item, Adamo ſenſuum obſervationem aut longo rerum vſu & experientia vſque adeo opus non fuiſſe. Denique Adami mentem ſeminarium fuiſſe artium omnium & ſcientiarum, quarum inventio illi proximè ſecundum Deum debetur.

XVII Abſoluta Creatione, quæ prima Executione decreti pars eſt, ſequitur gubernatio, quæ vulgo Providentia appellatur. Nam licet providentia, latius ſe extendat, adeo vt Creationem, & ipſum Dei decretum in ſe includat: aliquando tamen ſtrictius ſolet accipi, pro ſola gubernatione, qua Deus res omnes à ſe ab æterno decretas, & in tempoere creatas potentiæ ſuæ nutu moderatur. Gubernat autem Deus ſua providen-

tia res omnes & ſingulas, & rerum omnium & ſingularum acti omnes & circumſtantias, medijs interim interpoſitis, aliquādo omiſſis, nonnunquam ſupra & contra media. Et quamvis media diverſa ſint, atque oppoſita, alia Naturalia, alia neceſſaria, alia contingentia: Deus tamen non minùs ex contingentibus quam ex neceſſarijs medijs producit neceſſarios eventus, vtcunque res ipſæ, reſpectu ipſorum mediorum contigentium aliter atquealiter evenire poſſint.

XVIII Gubernat Deus non tantùm bona, ſed etiam mala, bona quidem conſervando mala verò deſerendo: vnde duæ oriuntur providentiæ ſpecies: Conſervatio, & deſertio. Vnde etiam efficitur, præter res creatas, aliquo modo eſſe quod ſub providentiam Dei cadat. Malum autem ſuapte natura Ens poſitiuum non eſt, ſed mera privatio: Non enim malo invecto in mundum aliquod novum ens, rebus priùs creatis acceſſit, ſed plurimum deceſſit, nimirum ſumma illa cum Deo conformitas & ſanctimonia, quæ in Angelis & hominibus fuit & etiamnùm ineſſe debet. Verùm, quanquam malum per ſe nihil eſt, tamen in ſubjecto quod aliquid eſt & per ſe bonum eſt, ſemper inhæret (Malitia enim ſeparata nulla eſt) nec id ſolùm, ſed etiam malum ex Bono oritur, & ipſum Bonum Mali videtur cauſa eſſe, idque per accidens. Verùm ipſa Bonitas Mali cauſa, quà malum eſt, dici non poteſt.

XIX Malum eſt aliud Culpæ, aliud pœnæ. Malum Culpæ ſeu peccatum ab Apoſt. Iohanne verbo vno definitur perfectiſſimè ανομια. Peccatum propriè, qua peccatum eſt materiam et formam non habet, cum entitas ejus, ſi qua eſt, omnis in ſanctitatis privatione poſita ſit, tamen aliquid earū loco habere dicatur. Materiæ loco, defectum obedientiæ & ſanctitatis. Pro forma Reatum, ſeu obligationem ad pœnam. Quare cum iudicio & cautè legendi ſunt qui peccatum ſubſtantiam vocāt vel poſitiuam Qualitatem, aut peccato tribuunt triplicem entitatem triplici forma veſtitam atque diſtinctam.

XX Peccatum vel eſt in Natura vel actione, vnde vel origina-

ginale,vel actuale dicitur.Originale eſt illud quod omnes Adæ poſteri in ejus lumbis peccarunt, in quo concipiuntur & naſcuntur peccatores & iræ filij, quo denique omnes ab eo naturaliter propagati, niſi Chriſto regenerentur , & vtrique morti obnoxij redduntur.

XXI Modus autem propagationis nec eſt per imitationem nec per infectionem animæ à corrupto corpore,vt vnguenti à vaſe, atque haud ſcio, an per animæ Traducem,ſed cum Deus in corpus a parentibus propagatum creando animam infundit eandem infundendo deſerit tanquam iuſtus Iudex , gratiam ſubtrahendo,vel non largiendo,ad quam cum creatura preſertim nunc poſt lapſum rea continuandam vel communicandam nullo iure eſt obligatus.

XXII Inter omnia peccata Actualia graviſſimũ eſt illud quod in S.S. cõmittitur, quando ſcilicet,quis luce veritatis illuminatus à Sp.Satanæ agitur, & veritatem agnitam non modo pertinaciter abnegat , ſed etiam eam ſummo odio & deſtinata malitia contra cõſcientiam perſequitur; vnde fit vt manifeſta apoſtaſia,Dei,veritatis, & Eccleſiæ factus hoſtis, ex Iuſtitia Dei finali cæcitate puniatur,adeo vt hujus peccati pœnitentiam agere nullo modo poſſit.

XXIII Liberũ arbitriũ eſt libera animæ facultas probandi vel improbandi eligendi vel reſpuendi ſua proprio motu ſine coactione, id quod intellectus ſeu mens eligendũ vel reſpuendũ eſſe dictat.Homini iam lapſo dicimus ſupereſſe mentem, & voluntatem, earumque partes & facultates omnes,ſed ita vt in rebus divinis quæ ad ſpirituale Chriſti regnum propriè ſpectant quo ad mentem prorſus cæcutiat,eaque quo ad voluntatẽ omnino averſetur: Licet autẽ quædam Naturalia & moralia bona velle poſſit,tamen neq; eo modo nec ſine ea vult aut velle poteſt quo debet: adeo vt quantumvis ſpecioſa illa coram hominibus vide antur eſſe,coram Deo ætenam mortem mereantur.

XXIIII Per legem peccati agnitio, & ad querendum contra vim morbile thalis ſalutare in Chriſto remediũ incitatio.Eſt autẽ lex rationis ordinatio ab eo qui curã communitatis habere

cum

cum jis qui jus communicationis habent communicata ad commune bonum.

XXV Eſtq; ἀρχέτυπος nimirũ æterna in Deo ſumma ac recta ratio, id eſt, rationis ordinatio: vel ἔκτυπος in tempore informata & creaturis ratione præditis communicata. Eaque vel ingenerata à natura, vel adventitia: Et hoc rurſum vel infuſa à Deo, divina: vel adnata ab homine, humana.

XXVI Lex Naturalis notionibus natura communibus naturaliter informat via naturali ad finem naturalem obtinendum, Divina notionibus ſupra naturam & communibus & ſingularibus informat divinitus, quos Deus ſua gratia dignatur ad finem tranſnaturalem via tranſnaturali obtinendum; Vtriuſque veluti partus eſt lex humana, quanquam ab vtraque non parum deficiat ob humanam infirmitatem.

XXVII Lex Moſis eſt naturalis & divinæ legis exemplum ἔκτυπον humanæ verò ἀντίτυπον: omnibus omnium, humanarum legum exemplis anteponendum. Nam Morali Naturalem, Ceremonia adjuncta ad gratiæ documenta, divinam, Iudiciali humanam exprimit & declarat.

XXVIII Eſtque lex hæc vel mutabilis vel immutabilis: hæc ſemper obligat: illa non ſemper. Immutabilis, eſt quæ per omnia æternæ legi conformis eſt & fundamento vnde eſt puro, & objecto, circa quod eſt debito: et fine, cujus cauſa eſt, juſto talis eſſe cognoſcitur. Cujuſmodi eſt moralis tota: Principia enim in rebus moralibus tria neceſſariò cõjungenda, terminus à quo, ſive fundamentvm, vnde exiſtit actio: Terminus in quo, ſive objectum, in quo terminatur actio, & terminus ad quem ſive finis, in quo terminatur præcipientis legis, aut agentis hominis intentio.

XXIX Mutabilis verò contrà, quæ vel fundamento vel objecto, vel fine æternæ legi conformis non eſt, cujuſmodi ſunt leges pleræque omnes humanæ. Iudicialis lex M. licet ortu divina, non eſt tamen modis omnibus divina: ſed a Deo ad modũ humanum attemperata, ac proinde Iudicialium Moſis pars im-

muta-

mutabilis, divino; pars mutabilis, humano modo: Principij & finis reſpectu divina & immutabilis: reſpectu verò materiæ & formæ,vnde modus exiſtit,mutabilis & humana.Forma autem eſt duplex, Externa, variabilis, & interna, Immobilis quia hæc eſſentialis,illa adventitia:

XXX Iudiciales Moſis partim mutabiles, partim immutabiles ſunt propter modum eorum, quæ illis ſubſunt,vel communem vel ſingularem,vnde jus lege conſtitutum vel commune vel ſingulare: Hoc mutabile, illud immobile, quod æternæ Legi conforme alterum ſit,alterum verò non ſit. Subſunt autẽ his legibus,Perſonæ,Res,quibus actiones includimus;& perſonarum rerumque circumſtantiæ, quarum conditioni jus lege accommodatur.Idque eſt vel jubendo,vel vetando,vel permittendo,vel munerando,vel puniendo,quibus mutatis,mutari leges vel poſſibile vel neceſſarium.

XXXI Divinam verò legem non ſecus ac moralem ſeu naturalem, imò magis neceſſe eſt inviolabilem permanere, quanquam leges ceremoniales ſive ſubſtantia, id eſt principio,objecto,fine: ſiue circumſtantijs, quæcunque iuris particularis ſunt in ritibus ac ceremonijs poſitæ, omnes fuerint mutabiles;pleræque iam mutatæ ſunt etiam reipſa,vt futurorum vmbrę.

XXXII Quæ verò compoſitam ex Morali,Iudiciali & Ceremoniali juræ rationem habent eæ mixti generis ſunt. In ijs quod morale eſt permanet, quod judiciale, mutatur perſonæ circumſtantijs,quod ceremoniale,perit.

XXXIII Lege Morali Deus præſcripſit officia omnia tum pietatis in Deum, tum Charitatis in proximum,cujus verus & genuinus ſenſus ex mente Legiſlatoris metiendus eſt,qui vt ipſe ſpiritualis eſt,ita ſpiritualem obedientiam requirit.

XXXIIII Lex hæc præter communem reprobis & Electis vſum, quod freni inſtar ſit ad externam diſciplinam regendam, diverſum etiam in reprobis vſum, & electis, ante regenerationem habet. Illis enim retegit miſeriam ſub peccato, eoſque re-

dar-

darguit & condemnando ad deſperationem adigit. His verò etſi peccatum retegat & irritet, miſeriamque ob oculos ponat, ante regenerationem tamen præparatio eſt ad Chriſtum, retundendo virium noſtrarum præfidentiam, & meriti perſuaſionem diſcutiendo. Poſt regenerationem verò vitæ regula, & gratitudinis norma eſt.

Επινομις προβληματικη.

1 AN aliquid Ceremoniale præcipiatur in lege Morali?
2 An fides lege præcipiatur?
3 An fides in intellectu ſolùm, an etiam in voluntate?
4 An omne peccatum lege prohibeatur?
5 An liceat cultui Idololatrico, ſalva conſcientia, intereſſe?
6 Sitne vna Religio vera, an multiplex?
7 An falſa Religio aut Antichriſtiania etiam ferenda in Rep. Chriſtiana?
8 An tolerandæ in templis Imagines?
9 An juramentum vi, metu, aut dolo malo extortum, ſervari debeat?
10 An fides Infideli eſt ſervanda?
11 An Ioſephus per Pharaonis vitam impiè iuravit?
12 An aliquando cælanda veritas? an ſimulatio omnis aut diſſimulatio damnanda?
13 An Sabbathum inſtitutum ante lapſum?
14 An opus omne βιωτικον Sabbato fieri prohibeatur?
15 An ταις αρχαις ὑπερεχουσαις per omnia, ſemper & ſine exceptione parendum?
16 An Papanus aut Antichriſtianus verè Chriſtiano Magiſtratui cliens fidelis aut Chriſtianæ Reip. bonus ciuis ſit tantiſper dum Romanam Antichriſtum verniliter colit?
17 Sunt ne hæretici morte plectendi?
18 Quid ſagæ & ſortilegi, quique eos conſulunt, ſunt ne vltore gladio coercendi?
19 Quid probatio per aquam, aut ſtigma quod vocant diaboli-

licum,ſiue in oculo aut alia quacunque exprompta,vel abdita corporis parte,& an ad fidem faciat ſatis?

20 An vi ſortilega aut diabolica ſagarum,aut ſtrigum,corpora tranſportentur ,aut tranformentur,aut animæ corporibus ſolvantur ad tempus & hæc tranſportatio aut transformatio corporum, aut inſtar cadaveris projecti, ſine ſenſu ſine motu, quaſi exulante aut ſaltem feriante anima, veternus & lethargia aſpectabilis ſatis ne firmum & evidens ſit iſtius execrandæ δαιμονομανίας argumentum.

21 An vim vi repellere licet expediendæ ſalutis cauſa?

22 An lex duelli legitima?

23 An privatam vindictam damnet etiam ratio naturalis?

24 An vindex ſanguinis apud Moſem privatam , an publicam gerit perſonam?

25 An divini,an humani juris,an eccleſiaſtici,an civilis,an vtriuſque Matrimonium fuerit?

26 An nuptiæ in comprivignis legittimæ?

27 An nuptiæ cum vidua ex priori marito gravida,aut vlla pregnante faciat vllam ſanguinis propinquitatem?

28 An fidelis cum Infideli nuptiæ legittimæ?

29 An juſta divortij cauſa deſertio?

30 An furtum privatum ſine vi, ſit capitale?

31 Quid peculatus aut ſacrilegium, an morte vindicandum? Nam de raptu & plagio jure gentium conſtat ὁμολογουμένως.

32 Vnus, ne ac ſolus teſtis in vllo crimine plenam faciat fidem?

33 An aliquod peccatum ſit involuntarium, quod lege prohibetur?

34 An peccatum in Sp.S.cognoſci poſſit in hac vita?

35 An ex lege Naturali gentilium, aut ex lege Moſaica Iudæorum quiſquam veræ iuſtitiæ apud Deum laudem, aut ſalutem conſecutus eſt?

Soli Deo Gloria.